

QUAESTIO II

UTRUM NATURALI RATIONIS LUMINE DEMONSTRARI POSSIT IN
DEO ESSE VERBUM.

Circa factum, solutio patet ex damnatione semirationa-
lismi in concilio Vaticano (DB 1816). Ut tamen certitudini
accedat intelligentia quaedam, considerandum est qua neces-
sitate verbum in nobis inveniatur, ut concludi possit utrum
ulla sit verbi necessitas in Deo quam naturaliter cognoscere
possimus.

Prima ergo necessitas verbi in nobis est ut ex perspecta
causa seu quidditate in rem concipiendam procedere possi-
mus. Nam ad actum intelligendi movemur per rerum causas
seu quidditates; quae tamen causae seu quidditates non sunt
res ipsae sed rerum partes vel relationes; et ideo prima ne-
cessitas verbi est ut ex perspecta quidditate in rem quiddita-
tive definitam procedatur.

Altera autem verbi necessitas est ut ex definitionibus et
ex perspecta evidentia in res qua existentes procedamus,
quod tamen non fit nisi ex perspecta evidentia procedat verum
affirmatum in quo tanquam in medio ens cognoscatur.

Tertia autem verborum necessitas est ut scientias exco-
lere possimus. Nisi enim verba universalis formarentur, to-
tum mundum aspectabilem numquam scire possemus, sed ad
particularia experta vel imaginata religeremur. Item, nisi
verba exacte definita formarentur, fluxu quodam imaginum
ad modum mentalitatis mythicae ferremur, cum numquam
clare et distincte constaret de quam re ageretur.

Quarta denique verborum necessitas est ut ultra limites
mundi aspectabilis per analogias et viam eminentiae proce-
damus. Quod sane numquam fieri posset, nisi verba interiora
tum definitiva tum indicativa formarentur.

Quae quattuor necessitates hanc communem radicem
habent, quod aliud est obiectum quod nos ad intelligendum
movet et aliud est obiectum in quod tanquam in finem ten-
dimus. Quod enim movet intellectum nostrum hac in vita est
quidditas rei materialis; finis autem in quem intellectus ten-
dit est totum ens. Quia enim ex quidditate incipimus, primo
requiritur verbum ut res per quidditatem definiatur, deinde re-

quiritur verbum ut res definita utrum existat iudicetur, tertio requiruntur verba ut ex sensibilibus in universum aspectabile convertamur, et quarto requiruntur verba ut ultra mundum materiale in Deum ascendere possimus.

Iam vero, eiusmodi necessitas verbi in Deo esse non potest. Intellectus enim divinus a nullo alio movetur neque in ullum aliud tendit tamquam in finem, sed perfectione infinitus existit aeternus, tum se ipsum comprehendens, tum omnia alia in se ipso perfecte intelligens atque sciens.

Quantum autem ad argumenta quae interdum proferuntur quasi Verbum divinum demonstrantia, facile solvuntur.

Obici enim potest claram atque distinctam non esse intelligentiam quae verbis non exprimitur. Sed divina cognitio omnino clara atque distincta est. Ergo non est sine expressione per verbum.

Respondetur. Intelligentia per multos actus non est clara atque distincta sine verbis, *conceditur*; intelligentia per unum actum infinitum non est clara atque distincta sine verbis, *negatur*. Et contra distinguitur minor.

Distinctio autem sic explicatur. Per se, cum verbum nihil est nisi expressio eius quod intelligendo innotescit, verbum nihil claritatis et nihil distinctionis addere potest super intelligentiam. Per accidens, autem, ubi nulli et diversi et imperfecti sunt actus intelligendi, verba sunt necessaria ad claritatem et distinctionem; et ita in nobis, si nulla essent verba, haud scire possemus quid iam perspectum haberemus et quid investigandum maneret.

Obicitur deinde dualitatem subiecti et obiecti esse de ipsa ratione cognitionis. Nisi ergo subiectum divinum verbum diceret, se ipsum cognoscere non posset. Sed Deus se cognoscit. Ergo verbum dicit.

Respondetur. Suppositum principium esse simpliciter falsum, neque aliud habet fundamentum quam imaginationem hominis aspicientis et rei conspectae.

Propter suppositum principium Platonici posuerunt in primo quodam ordine Ideas aeternas subsistens simplices, in secundo vero gradu deos qui Ideas contemplarentur. Propter idem principium Scotus posuit distinctionem suam formalem a parte rei, ut inferitis patebit. Propter idem principium, Günther et Rosmini demonstrationem Verbi divini sese invenisse arbitrabantur. Propter idem principium, J.-P. Sartre ita distinguit *en soi* et *pour soi* ut Deum realem, sui conscium, et simplicem, tamquam contradictorium impugnet. Propter idem principium, concipitur conscientia tamquam perceptio sui et in difficultates insolubiles circa conscientiam Christi pervenitur.

Ad cuius intelligentiam animadvertendum est quod aliud est res et aliud est quidditas rei. Res enim dicit quoddam totum ex materia corporali et quidditate compositum; ipsa autem quidditas non totum est sed pars, cum a corporali materia distinguatur eique inexistere dicatur.

Quare, sicut aliud est res et aliud est rei quidditas, alius etiam est actus quo res definitur, et alius est actus quo rei quidditas innotescat ut per eam res quidditative definiri possit. Et iterum hi duo actus emanatione intelligibili connectuntur, cum ideo rem per causam seu quidditative definire possimus, quia causam seu quidditatem perspexerimus.

Ne quis vero nominibus terreatur, addantur exempla.

Quid sit eclipsis? Eclipsis est obscuratio facta in corpore caelesti per interpositionem alterius corporis caelestis. En definitio quidditativa, nam dicit quid sit eclipsis. Quomodo ergo a qualibet alia definitione differt? Quia non tantum similitudines sensibiles enarrat sed etiam causam seu propter quid assignat. Causa enim eclipsis est interpositio alterius corporis caelestis; quae quidem causa in ipsis sensibilibus vel saltem in phantasmate intelligendo perspicitur, antequam eclipsis per causam definiri possit.

Quid sit circulus? Circulus est locus punctorum in eadem superficie plana iacentium et aequaliter a centro distantium. En alia definitio quidditativa. Non enim dicit circulum esse figuram planam perfecte rotundam sed assignat causam cur circulus necessario sit perfecte rotundus. At ipsa haec necessaria consequentia in phantasmate intelligendo est perspicienda, antequam intelligibiliter emanare possit circuli definitio.

Quid sit homo? Animal rationale. En definitio quae quidditativa est quia causam assignat. Quod enim sensibus innotescit est corpus organicum tale. In quo corpore intelligitur forma, quae quidem anima est et sensitiva et rationalis. Quia forma est anima sensitiva, res est animal. Quia forma est anima rationalis, res est animal rationale.

Quibus perspectis, fundamentum gnoseologicum hylemorphismi elucet. Ideo enim res materia et forma componantur necesse est, quia eas sentiendo et intelligendo concipimus.